

C V D

A T G G

1 6 1 1



[Faint red stamp or markings]

ov 2. 1/2

*Libb. med. Hto
2 H. 23. V.*



13



M

Sacrofanctæ
Triados auxilio

Amplissimi Ordinis Asclepiadei
Basiliensis senatusconsulto
hasce

DE MELANCHOLIA
HYPOCHONDRIACA

positiones

*Unà cum adnexis corollarÿs, pro laurea
Apollineâ & insignibus Doctoralibus*

primum quidem

in

MEDICINA,

deinde verò seor-

sim etiam

in


CHIRURGIA

impetrandis

*Publico examini ventilandas atq; examinandas
subijcit*

ADAMUS BRUXIUS,
SPROTTAVIENSIS SIL.

*ad Calendas mensis VIIbris
loco & horâ consuetis.*



Basileæ, Typis Conradi Waldkirchij.

Anno MD CIIII.



Hanc qualemqualem animi grati,
& subiecti arrham,

VOBIS


REVERENDISSIMI, NOBILISSIMI, AM-
PLISSIMI, ET PRUDENTISSIMI
VIRI AC DOMINI:

DOMINI,

Collegij Cathedralis Ecclesiæ, Archiepisco-
patus Magdeburgensis, Præsides:

NEC NON

Eiusdemmet Provinciae selectissimi
Ordines;

 *Vorum liberalitatem admirandam, & perpetuis laudum gloriae
praconijs celebrandam haectenus sum expertus, in praesens expe-
rior, atque in posterum etiam experiar: donec videlicet ulteriore
munificentia vestra sustentatus, spem, quam de me concepistis,
ratam efficere, telam vestris auspicijs inceptam praetexere, neque solum do-
ctus: verum etiam experientia instructus, & utroque (ut cum Galeno loquar)
erure suffultus, tandem aliquando salutaris & acceptus Vobis, redire possim.
Quod profecto, nisi Galliam, quippe studijs Medico-Chirurgicis omnium ma-
ximè florentem, & in parandis medicamentis non nauseosis, hoc praesertim
tempore, felicem admodum adiero: indeque uberiore doctrinam excultus Belgi-
cum, quod varia, variorum vulnerum, contusionum, fracturarum & luxa-
tionum exempla suppeditabit, lustravero, fieri omnino non poterit. Fieri au-
tem poterit, si me haectenus à vestro patrocinio haud aliter, atque infans à ma-
tris ubere pendet, pendentem, non deserueritis: & in annum adhuc unicum,
stipendium, communiter sic dictum, clementer & benignè prorogatum, in me,
ne spem vestram fallam, continuaveritis. Id quod proinde à Vobis eam, quae par-
est, reuerentia & submissione maximopere oro, & supplex peto:*


VOBIS, inquam, IPSIS,

Dominis meis Clementissimis, &
Mæcenatibus amplissimis,

L. M. Q.

offero & consecro

Adamus Bruxius, Alumnus.



DE MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

THESIS I.

V Imperatores in bello ad loca illa, ex quibus maximè hostium fraudes & incursiones metuuntur, animum atq; oculos intentos habent: ita non minùs Medicum contra illos affectus, qui humano generi frequentius insidiantur, probè instructum esse decet. Eiusmodi est prasens affectio, qua non solum Germanos: sed etiam Italos (superiori enim Vere, ferè maior consultationum Patavi habitari pars ad Hypochondriacos attinebat) aliasq; nationes infestat. Non ergo prater rem fore duximus, eiusdem pro ingenij nostri modulo atq; tenuitate tractationem suscipere.

I I.

Melancholia triplex statuitur, una primaria; altera, qua totius corporis vitio fit; & tertia Hypochondriaca. Relictis primis duab. speciebus. ultimam tantum in prasentiâ explicabimus. Partiemur autem totam hanc tractationem in 3. summa capita, in Diagnosin scilicet, Prognosin & Therapiam.

DIAGNOSIS.

I I I.

Sub Diagnosi comprehendimus nomen, subiectum, definitionem, causas, signa, signorum causas, & alia.

I V.

Nomen. Vocatur hoc malum passio siue Melancholia hypochondriaca: propterea quòd sub costis & hypochondrijs causa eius lateat. Vocatur etiam Melancholia flatuosa, ob sonoros, quibus abundat, flatus: hinc fit, ut à nonnullis Flatus hypo-

chondriacus dicatur: ab Arabib. verò Mirachia siue Melancholia Mirachialis. Mirach enim ipsis idem, atque abdomen significat, quod hîc affici solet. Qui hoc affectu tenentur, Hypochondriaci vel flatuosi hac nostrâ etate, ab Hipp. verò Paudi, à pauore quo ut plurimū corripuntur, nominari consueuere.

V.

Melancholia igitur hypochondriaca est mentis alienatio, cum timore & mœrore citra febrem, facta ab intemperie siue imbecillitate cerebri, quam inducit vapor melancholicus ab hypochondrijs sursum ascendens.

VI.

Principaliter & semper quidem Imaginatio hîc leditur: licet secundariò interdum quòque deprauetur ratio: malo videlicet inueterascente. Etenim sicut ad bonam & legitimam imaginationem requiritur spiritus animalis copiosus & limpidus: ita impurus non nisi corrupta functionis causa esse potest.

VII.

Subiectum. Cùm igitur sit affectus per consensam, explorande iam sunt partes verè affectæ, quæ non solum sunt venæ illæ, quæ mesenterium & omentum; verum etiam quæ alia viscera naturalia perreptant, illis præsertim in locis, in quib. plures & maiores venæ Porta rami, versus lienem & ventriculum (licet alias etiam partes sæpè sæpius affici non insciamur) in sinistro latere tendunt.

IX.

Atq; hæc causa est, quare Hypochondriaci de sinistra hypochondriorum sede frequentius conquerantur: etiam si interdum etiam circa dextram, & dorsi regionem, ubi lien, præcipuaq; viscera abstrusa latent, molestias sentiant.

IX.

Qui in hisce partibus consistit morbus, partim est similis, nempe intemperies calida & sicca, (Φλόγωσις Græci dicunt) cum materiâ semper coniuncta: partim verò organicus,

nicus, obstructio nimirum, quæ postmodum dictam intemperiem inuehit: id quod satis arguunt acrimonia & feruor, quem isthuc percipit ager. Neque mirum est hanc effici accensionem: quoniam multitudo excrementorum crudorum copiosas producit obstructions, propter quas calor viscerum accensus excrementa incrassat & quodammodo deurit.

X.

Obstructionis ergo huius causa est humor melancholicus & pituitosus, copiosus, crassus, viscidus, crudus ac lentus, venas mesaræ & partium circumiacentium inferciens.

XI.

Causæ. Generatur hic humor à causis cum externis, tum internis. Causæ externæ occurrunt vel necessario, vel non necessario. Necesario occurrentes causæ sunt cibus ac potus, in quibus quantitas, qualitas aut etiam assumendi ordo peruertitur. Sic caseus antiquus & alia lacticia, carnes salitæ & veterum animalium, pisces lacustres & palustres, grandiores præsertim, carnes cochlearum & testudinû, vina nigra, aquæ crassæ & lutulentæ, cibi item astringentes ab usu ciborum melancholicorum sumpti, lentæ, fabæ, panis fursuraceus, brassica condita (recens enim succi usque adeo mali non est) & alia originem huic malo præbere solent. Huc referuntur vigilia, otium, mæror, timor, & suppressa consueta aliqua euacuatio, vel seminis, vel hæmorrhoidum, &c.

XII.

Causæ non necessario occurrentes sunt motus violentiores statim à sumpto cibo: ut sunt equitatio laboriosa, cursus veloces, aut gestatio impetuosa: medicamenta item calidiora & astringentia intus aut foris imprudenter adhibita, & alia.

XIII.

Causæ internæ diuiduntur in Generantes & Detinentes. Generantes sunt partes inseruientes aut nutritioni, aut procreationi. Quæ nutritioni famulantur, faciunt vel ad Chylosin, vel ad Hematosin. Inter eas, quæ Chylosi ministrant, est

ventriculus, cuius actio laeditur facultate labefactatâ aut frustratâ.

XIV.

Facultas labefactatur ob intemperiem, eamq; vel simplicem vel compositam. Per simplicem intelligimus, intemperiem frigidiorē: per compositam autem vel frigidam humidam, vel frigidam siccam.

XV.

Facultas frustratur ob externū aliquem errorem, qui consistit in dictis sex reb. non naturalibus. Ventriculi proinde chylosificatione lesâ gignitur chylus inconueniens, qui dum ad venas mesaraicas appellit, easdē crassitie & lentore suo obstruit.

XVI.

Ex ijs que ad hamatosin faciunt, est epar laborans intemperie calidâ, quod chylum nondum ritè confectum avidius attrahendo, & portiones humidiores exugendo, crassiores vstulat, atq; ita angustiam caussat.

XVII.

Cause detinentes possunt esse vel lien vel vena hemorrhoidales. Ac lien quidem in causâ est, si afficiatur morbo aliquo vel simili vel organico.

XIX.

Morbus similis est intemperies illius frigidior: & tunc vel non ritè attrahit, vel non expellit. Organicus est, dum afficitur vel tumore vel angustia aliqua: & tunc non rectè suscipit melancholicum humorem.

XIX.

Uterus tum demum inter causas detinētes refertur, quando ob morbum aliquem menses supprimuntur, in ijs potissimum mulieribus, que multum melancholie gignunt. Eadem ratio est venarum sedalium in illis hominibus, quibus certis temporibus sanguinem nigriorem stillare & per anum excernere consueverunt.

Signa.

X X.

Signa. Signorum quaedam sunt communia reliquis melancholia speciebus: quaedam verò huic propria. Communia desumuntur tum à causis antecedentibus & humoris melancholici prouentum facientibus, tum ab illis consequentibus.

X X I.

Sub antecedentibus complectimur anni tempus autumnale, etatem inclinantem, victum melancholicum, vitæ conditionem tristem, contemplationibus literarumq; studijs implicitam & alia. Filij quinetiam melancholicorum, teste Plutarcho, necessario quasi melancholici euadunt. Nec postremum locum obtinet amor: Amantes siquidem adeò cogitabundi incedunt, ut & cibum capere & dormire, aliaq; ad valetudinē conseruandam requisita, negligant. Unde quid mirum, si calore natiuo debilitato, affectiones melancholicas incurrant?

X X I I.

Sub consequentibus, faciem inconstantē & horridam, corporis habitum macilentum & siccum, pulsum subdurum & rarum, mæsticiam, inanem & stultam rerum friuolarū commentationem, somnia turbulenta & terroris plena, linguam subito impotentem redditam, obliuionē, τὴν μισανθρωπίαν, &c. comprehendimus. Sæpè etiam præcesserunt morbi acuti aut diurni, naturâ dein exustas morbi reliquias in abdominis regionem deponente. Caterùm missis hisce cōmunibus ad magis propria deueniamus.

X X I I I.

Hæc autem sumuntur à symptomatis circa tres functiones generales apparentibus. Ac circa naturales quidem sentiuntur cruditates, flatus, ructus acidi, rugitus frequentes, ac veluti tonitrua circa hypochondrium maximè sinistrum. Aluus dura est: appetentia modò prostrata, modo etiam deprauata vel nimia est. Alui faeces interdum nigricant: quæque primò exeunt sæpè visuntur duræ admodum, & instar τῶν σκυ-βάλων compactæ. Ut plurimum etiam obducuntur pituitâ

quadam lentâ & viscidissimâ : vernoq; tempore sæda superuenit scabies.

X X I V.

Circa functiones animales sequentia conspiciuntur accidentia : oculi caligant : palpebrae, quemadmodum & non raro extremitates digitorum, cum videlicet vapor insensus à naturâ eò tanquam ad partes remotissimas & ignobiles protruditur, palpitant : aures tinnunt : crura torpent secundum latus tamen potius sinistrum quam dextrum : auram, ut & potum frigidiorum, dum feruor hypochondria (quod ferè duabus post prandium horis contingit) occupat, vehementer appetunt : difficulter quandoq; respirant : citra causam manifestam lugent, non timenda timent : vitam oderunt, mortem nihilominus valdè pertimescentes : vereq; accidit, quod Clarissimus & Celeberrimus Medicus, Dn. Balthasar Brunnerus, Patronus meus longè Amplissimus, & cui omnia ferè, quæ habeo, debeo, de illis solet dicere : Sie sterben die ganze woche vber / vñ wen der Sonntag kompt / so hat man nichts zubegrabē.

X X V.

Circa actiones vitales offerunt sese molestia arteriarum leui abdominis pulsatio, cordis palpitatio, & alia. Quæ tamen symptomata omnia pro intensione ac remissione materiae morbificæ quandoq; intenduntur, quandoq; verò, ut post eruptionem ructuum aut flatuum, aluiue excretionem, remittuntur. Cumq; se agrotare agnoscant, omnes medicos fatigant, obtundunt, curationes nouas expetunt, quibus non ilicò iuuantibus, ad alios se conuertunt.

X X V I.

Verùm ex proprijs locis distingui, disciq; debet, num ventriculi, epatis, lienis aut alterius cuiuspiam partis vitio affectus iste nascatur. Dicenda iam nobis omnium accidentium enumeratorum essent cause : sed ad vitandam prolixitatem aliquot solummodò, & quidem precipuorum rationem reddemus.

Signo-

XXVII.

Signorum causæ. *Linguam melancholicorum derepente impotentem facit imaginationum copia, ita ut, si maximè velint, eas tamen linguâ sequi non possint. Potest id etiam in hypochondriacis contingere propter pituitam, quæ in illis abundat. Exhalationes enim infernè sursum ad caput ascendentes, ibidemq; rursus concrecentes, facile lingua motum remorari, aliâque corporis partem stupidam reddere possunt. Quid, quod etiam à nouarum rerum commentatione & eloquio, eos subito retrahunt veteres cogitationes, in quibus antea mente nimis infixi erant?*

XXIX.

Non bene recordantur, eo quòd in perpetuo quasi motu habeant animum: reminiscencia autem quiete indigeat. Respiratio leditur à vaporibus crassis & comprimendi vim habentibus, quando ad diaphragma & fauces peruenerunt.

XXIX.

Pulsatio tactui manifesta sub hypochondrijs à calidâ intemperie ortum trahit: namq; & temporum arteriæ per febres ardentes, ut & à potu meri largiore, ob præternaturalem caliditatem maximè pulsare Galenus docet. Fit quoque ratione vasorum compressorum à glandulis plurimis, quæ in mesenterio contentæ, replentur humore crasso, atro & melancholico. Quandoquidem autem in mesenterij centro insigne corpus glandosum reperitur, quod insigniores ac primas vasorum diremptiones suffulcit: ideo fit, ut ibidem arteria magna, quæ iuxta venam cauam, per dorsi medium versus sinistram partem perrepsit, à glandoso hoc corpore, dicto humore repleto, compressa vehementiùs pulsare sentiatur. Accedit, quod Flauosi excarnes euadant, & circa dictam in primis regionem extenuentur, ut hoc nomine eò promptior pulsationis huius fiat perceptio.

XXX.

Feces asperiores ac duriores excernuntur, eò quòd ob diu-

B

turnam earundem detentionem, à calore præternaturali partium affectarum exiccantur, & quadantenus torrentur.

XXXI.

Sed cur alui tanta adest pigrities? Hoc fieri existimo ob magnam mucosam pituitam, quæ à ventriculo frigidiorè producitur, copiam. Illa ipsa enim intestinorum parietibus undique visciditate suâ adhaerescendo, excrementorum transitum impedit, prohibetq; quò minus à bile flauâ, affluente, & ad excernendum necessariâ, intestina stimulentur. Hinc multi sanè reperiuntur, qui excernendo feces, tantum temporis, quantum alij vix comedendo, consumant: vsque adeo aluus illis torpet! Possunt tamen plures quoque cause in medium adferri: ut, quòd intestina flatibus distenta, & consequenter etiam musculi abdominis non, quemadmodum naturaliter fieri debebat, comprimantur: quod feces à flatu crasso suspendantur: quodq; intestina sicciora in hoc affectu esse ut plurimum soleant.

XXXII.

Non immeritò autè aliquis sciscitari posset causam, quam obrem post multas repetitas euacuationes, ubi cetera symptomata euanescere, fluctuatio & rugitus illi non conquiescant. Cui ita responsum velim: duas membranas, mesarai corpus constituentes, multo interueniente adipe, inuicem distingui: qui, ubi viscus hoc calorem præternaturalem concepit, sensim liquefcit & absimitur. Quo factò locus quidam intermedius relinquatur, humore ichoroso à venis mesenterij resudante mox replendus. Inibi ergò conclusus, murmura atque tonitrua edit.

XXXIII.

Hieronymus Fabricius, ab Aquâ pendente, præceptor meus aliam rationem affert, dicitq; in cavitæ illa insigni, quæ inter diaphragma & ventriculi sinistram partem reperitur, quæq; à binis (quemadmodum aliquoties publicè nobis ostendit) omenti tunicis constituitur, pituitam in hypochondriacis po-

ois potissimum, saepe solere colligi, quae partibus vicinis sensum frigiditatis inducat, tandemque in flatus resoluatur, qui, cum nulli dentur exitus, inter dictas illas τὸ ἐπιπλόξ membranas, ad sinistram latus vergentes, ventorum conclusorum instar, strepitus & murmura excitent. Huiusmodi autem homines ait se aliquoties curasse medicamentis urinam cientibus. A cuius mente non videtur esse alienus Hippocratis, quem etiam ipse adduxit, aphorismus: qui ita incipit: Quibus inter diaphragma & ventriculum pituita intercluditur, &c.

XXXIV.

Duabus à prandio horis aut circiter, ardor hypochondria & caput infestat, propterea quod chylus ventriculo elapsus, venas mesaraicas obstructas transire nequit. Tum igitur materia morbifica irritata & irrigata, instar calcis aqua perfusa incalescit, & vapores sursum mittendo caput vehementer percellit.

XXXV.

Hinc etiam non difficile est causas mæstitia atque metus eruere. Sicut enim externa tenebrae omnibus hominibus, nisi admodum audaces aut docti fuerint, pauorem inducunt: ita fuligines ista melancholica & atra, posteaquam cerebri substantiam introgressa, spiritus animales natura lucidos, obscurarunt, mærorem & timorem inferunt.

Et tantum de Diagnosi sit dictum: sequitur Prognosis.

PROGNOSIS.

XXXVI.

Prognostica sumuntur à rebus vel secundum naturam, vel præter naturam. Ad res secundum naturam referuntur temperamentum, sexus & alia.

XXXVII.

Temperamentum. Balbi non tantum propter copiosam, quâ scatent, humiditatem vehementius, si afficiantur melan-

choliâ, affliguntur: sed etiam quod ob lingua sua vitiû nimis angantur animo; adeò, ut non mirum sit, ipsos valde melancholicos fieri.

XXXIX.

Sexus. Viri quidem frequentius euadunt melancholici: sed mulieres, ubi semel hypochondriacæ redduntur, multò peius tractantur, quàm viri. Hoc primum fit ob impuritatem menstrui sanguinis. Adeò enim fœdus & infensus hic est, ut quotiescunq; humori melancholico coniungitur, horribiles & incredibiles effectus producat. Secundo: quia hic sexus tam exigui est animi, ut, ubi semel ab hoc humore capitur, sese totum potestati illius tradat.

XXXIX.

Res præter naturam. Etsi hoc malum neminem facile ex sese trahat ad interitum: melioris tamen vitæ gratiâ quam primum ei est succurrendum. Vix enim ullus alius affectus, tot accidentibus in partium naturalium, animalium & vitalium lesionibus, hominem alioqui non decumbentem, aequè, atque hîc ipse, diuexat.

XL.

Sanguine in venis, diutinâ euaporatione infecto, sæpè in veram aliamq; melancholia speciem transit. Quòd si putredo ipsum inuadat, in febrem quartanam comutatur, aut etiam lienis epatisue tumorem parit.

XLI.

Sæpè in furorem, si inualescat, affectus iste abire solet. Hinc fit, ut sibimetipsis manus violentas inferant, aut laqueo, aquarumue submersione mortem, quam prius tantopere exhorrescebant, consciscant. Interdum in febrem hectica non absimilem incidentes, moriuntur tabidi.

XLII.

Venis hæmorrhoidalibus naturâ vel artereferatis & fluentibus, cum antea curationem omnem respuisset, sæpè curatus est. Quod idem de varicibus quoq; superuenientibus dici debet:

nam

nam flatus & fuligines hoc pacto à capite auertuntur, humore morbifico foras à naturâ propulso.

Tantum etiam de Prognosi: sequitur
Therapia.

THE R A P I A.

X L I I I.

Ad Therapiam pertinet duo: Indicantia & Indicata. Indicantia sunt tria: Causa morbifica, Morbus, & Virtus.

X L I V.

Causa morbifica. Etsi ferè sufficiat in passione flatuosâ, occurrisse humori, quod scilicet sublato illo, symptomata statim cõquiescant: tamen quia nõ nisi paulatim euacuari potest. nõ abs re fuerit, vaporis quoque effumatis habere rationem. Is igitur reuelli, intercipi, & siquidem calorẽ & siccitatem partib. supernis inducat, refrigerari & humectari postulat.

Hic mihi optarim medicamentũ aliquod, quale nobis Chymici videtur policeri, quod vaporosos hosce spiritus deprimat & coagulet. Hoc autem in rerum naturâ existere non dubito, cum & vini spiritus subtilissimus & multoties rectificatus, in momento quasi, instar butyri cogi & densari, alio quodam tenuissimo & spiritali liquore possit.

X L V.

Quocirca humor ille melancholicus & pituitosus, in venis mesarai & omenti cõtentus, est expurgandus. Priusquam verò id fiat, probè preparari, modicè calefacientibus, humectantibus, attenuantibus, incidentibus, detergentibus, & concoquentibus debet.

X L V I.

Cause externa si adsint, remouenda sunt. Nam & Aretæus historiam cuiusdam recenset, qui cum amore correptus, factus fuisset melancholicus, ex templo curatus est, postquam videlicet amasia, quam deperibat, factus esset particeps.

X L V I I.

Quòd si symptoma aliquod, quod curationem ad se videatur trahere, interueniat, ei conuenientibus auxilijs consulere nos oportebit.

XLIX.

Morbus. Obstructiones dictorum iam saepe viscerum reserentur, intemperiesq; contrarijs alterentur. Capite vapores attrahente, calor refrigerandus, dolor verò mitigandus venit. Si autem suscipiat, imbecillitas corrigenda & causa illius auferri debent.

XLIX.

Virtus. In hypochondriacâ affectione ventriculus semper plurimum patitur. Huic igitur strenuè medendum est, & praesertim ori ipsius superno. Neq; etiam cordis cura abijcienda est: siquidem Avicennâ teste, fieri vix potest, quin ab elevatis istis pravis vaporibus simul afficiatur.

L.

Si splen, epas vel alia quæpiam corporis pars in causâ sint, harum corroboratio & curatio è locis proprijs peti debent. Ita, ubi alia melancholia species ad fuerit, eius quoque curatio aliunde addiscenda erit.

LI.

Indicatum itidem tria sub se complectitur, nimirum Chirurgiam, Pharmaciam & Dietam.

CHIRURGIA.

LII.

Venæ sectio in artibus celebrari non debet, nisi plethora aliqua id suadeat, aut sanguis quoq; illorum infectus, mensæ sue retenti in causâ sint. Quòd si ita acciderit, foramen amplum satis fiat, ut sanguis crassior possit effluere, qui quò fluxilior red datur, pars ante sectionem in aquâ calente fouebitur.

LIII.

Sanguis igitur crassior si egrediatur, copiosè euacuandus: sin verò tenuior. Stitim supprimendus, aut certè modicè admodum educendus erit. Laudo autem sectiones venarum potius, nisi quid dissuadeat, inferiorum partium, quàm superiorum: siquidem crassum sanguinem deorsum magis ferri, quàm sursum

sum rationi consentaneum valde est. Non addam, maiorem quoque ita fieri reuulsionem à capite.

LIV.

Hirudines. Venarum sedalium apertio unice hinc comendatur, qua si tument, ferro, sin minus sanguisugis tentari debet. Caterum antequam ha applicentur, anus spongia in aqua calente expressa bene fomentandus est: alias sanguis tenuior duntaxat emanabit, faculentiore intus relicto.

LV.

Cucurbitulae. Flatus plurimum infestantes egregie discutit cucurbita (Ventosam vulgo appellant) magna, absque scarificatione cum flamma interdum umbilico admota: cuius defectum supplebunt cucurbitulae aliquot minores, circumcirca similiter impositae.

LVI.

De frictionibus ligaturis, & extremitatum lotionibus non est, quod dicam. Hec enim omnia ad reuellendos vapores facere, nemini non notum est.

LVII.

Fonticuli seu potentialibus, seu actualibus cauteriis, in cruribus parati, multis magno auxilio fuere. Tutius tamen & citius operabuntur actualia, qua si aeger admittere noluerit, fallendus erit instrumento aliquo affabre fabricato, quod in momento quasi, aegroque nihil plane animadvertente, vires suas exerat: cuiusmodi fieri mihi curavit Excellentissimus vir, Dn. Franciscus Mandellius, cognomento Campana, utramque Medicinam Patavij exercens, praeceptor atque amicus meus nunquam obliuiscendus, quem honoris causa nomino.

PHARMACIA.

LIX.

Pharmacia constat ex alterantibus, expurgantibus, & roborantibus.

LIX.

Alterantia. Vina medicata cum magno fructu in hoc affe-

cti propinantur. Fiant autem ex radicib. scorzonor. cichor. borrag. cort. rad. cappar. fraxin. thamaris. rad. althææ, glycyrrhizæ, tusilag. sem. dauci, aquileg. herb. card. ben. scolopend. spicanthi, centaur. min. end. &c. Quod si quis malit decoctum, materia ista remediõrũ, aut similes in iure dulci raporũ exicatorum non sine emolumento coqui poterunt.

Matrona Veneta hypochondriaca diu à Medicis frustrà curata, tandem de consilio cuiusdam Empyrici, singulis dieb. aut saltem alternis, mane guttulas aliquot Spiritus Vitrioli sumpsit. Quod cùm per aliquot septimanas continuasset, planè liberata fuit.

L X.

Circa alterantia notandum, ea non nimis esse debere calida: alioqui malum exacerbatur. Aluo igitur clystere aut leniente aliquo subductâ, præscribenda erunt dicta materierum forme, aut etiam syrupus aliquis de succo borrag. de pomis odoriferis, & Porstorffianis, molliorib. præsertim illis, de fumar. de cort. citri cum moscho, de absynthio, &c. Præter hæc quoq; ius galli antiqui aut turturum, quorum venter idoneis rebus fuerit repletus, à quibusdam maximopere celebratur.

L X I.

Purgantia. Humor ita preparatus, sensim deinde purgari debet, non vehementioribus illis catharticis, sed blandioribus, ut sunt sena, polypodium, epithimum, Diacatholicon, Diaphænicon & similia. Syrupum de polyp. Itali in frequenti usu habent. Neq; etiam hiera nisi intensa iecinoris caliditas prohibeat, damnanda est.

L X I I.

Pilullis relegatis liquidiores medicamentorum formas amplectimur. Cui intentioni respondent vina medicamentosa, de quibus superius mentionem fecimus, si purgantia in ysdem infundantur. Quia verò à remedijs plerunq; tandem abhorrent, aluus sollicitanda crebrò est suppositorijs, aut potiùs clysteribus, tanquam penitiùs intestina subeuntibus.

L X I I I.

Diuretica non inutiliter etiam propinabuntur, pro deobstruendis

struendis visceribus, & expurgando humore melancholico. Et enim licet nulle manifeste via à liene ad vesicam tendant: secreta tamen, & natura, paucisq; quibusdam alijs sunt cognita. Ichores præterea quoniam hic abundant, maximè iuuabunt, eosdem per urinae vias expurgando. Hipp. ait Biantitumorem lienis urinae profluuium fuisse sublatum. Idem de mensibus mouentibus in muliebri sexu intelligi debet.

LXIV.

Vomitus, malo iam in longū protracto, in assuetis plurimum conducit: cum sic excrementa, quæ in illis locis continuo ferè in primâ concoctione colliguntur, subito, & nonnunquam in venis mesaraicis retenta materia, per hunc eijciantur. Lenioribus tamen id fiet, ut syr. de acetosâ, & oxymelite, cum aq. hordei aut simplici tepente.

LXV.

Materia ita preparatâ & euacuatâ, obstructiones, quæ adhuc restant, tollenda, visceraq; corroboranda erunt. Quod etsi varijs præsidiorū generibus fieri possit: tamè vno omnium ore & consensu chalybs ritè preparatus primum sibi locū vendicat.

Hercules Saxonia, præceptor meus, electuarium quoddam de chalybe paratum in secretis diu habuit, quod quia multoties in hoc affectu vtilissimum inuentum fuit, & paucis adhuc innotuit: non grauabor eius descriptionē, quā superiori aŕo ex ore ipsius excepi, in gratiâ beneuoli lectoris hic tradere, quæ talis est: R. fol. senæ ℥iij, epith. polyp. an. ℥ij, pulpæ thamarindor. ℥is. myrobal omn. ℥j. flor. cassiæ nouiter extr. ℥iis. Bulliant omnia in aq. borrag. agrimon. & ceterach. an. ℥ij. ad cōsumpt. medietatis. Colaturæ adde sacch. fini ℥ij. Bulliât simul in prædicto decocto, quoad incipiant crassescere, addendo sub finē hos pulueres: R. Mastichis, rub. tinctor. rasur. ebor. liquirit. ras. fœnugræci, capill. Vener. cal. aromat. anisor. fœnic. filer. mont. nigell. petrosel. enulæ, vrticæ, lactuc. end. an. ℥ij, schænanth. eupator. thaminif. sem. portulac. nuc. myristicæ, macis, cinam. caryophyll. spicæ nardi an. ℥j, sem lini, limaturæ chalybas aceto acerr. præp. an. ℥iis. Misce. f. elect.

LXVI.

Pleriq; ad occultam illius proprietatem, quâ huic passioni proŕit, confugiunt, quam tamen nos hoc loco non agnoscimus: cum nouerimus longè alias vires chalybi præparato, atq; crudo inesse. Neq; enim astringendi & refrigerandi tantum potestâ-

rem illi innatam esse, abundè apparet, quando coti rotunda circumrotata appressus, iugi etiam fonte perfusus, innumeras easq; fulgurantes scintillas emittit: quas tamè unà cū puriori substantiæ illius portione, arte elicere, nō equè omnes nouerūt.

LXVII.

Chalybem igitur rectè preparatum existimamus prodesse, primùm humores illos serosos, qui propter diminutam ventriculi concoctionem, generantur, exiccando: secundò vi ignis siue sulphuris, quod in se continet, penetrantis, obstructions recludendo: tertio ventriculi frigiditatem calefaciendo: & quarto astrictione suâ viscera corroborando.

LXIX.

Ventri uniuerso, ut obstructions soluantur, & materia è mesenterio ad intestina euocetur, adhibeantur foci semel aut bis de die, spongiâ latâ, aut linteis etiam multiplicatis, manè videlicet ante prandium, & vesperi ante cœnâ. Materierum magnas apud practicos ubiq; syluas inuenies.

LXIX.

Quandoquidem verò flatus sæpenumerò nimium molestât, occurrendum ijs erit sacculis, emplastris, unguentis, alijsq; presidiorum formis. Oleum anisi, aut balsama Chymica ex cymino, fœnic. &c. parata hîc multum valent. Quibus omnibus non iuuantibus nonnulli ad rubificantia, imò ad vesicantia & picationes confugere solent.

LXX.

Roborantia. Post & inter quæ omnia eger sæpe corroborandus venit conseruâ flor. bugloss. borrag. violar. rosar. anthos, corticibus citri conditis, & alijs. Confectio Alkermes cum quadruplâ borraginis conseruâ omnibus conditis. Dureto auctore, est anteponenda. Ad extremum, si pars quæpiam alia, ut ventriculus, splen. &c. agrotauerit, eius curationem aliunde huc transferemus.

Nec silentio prætereundum est oleum ex croco destillatū, cuius guttula vna aut summum duæ, in conuenienti liquore exhibitæ quemuis vel tristissimum, læticiâ dicuntur perfundere.

Si ve-

L X X I.

Si verò falsas imaginationes medici adimere nequeant, astutis & solertiâ uti debent. Sic Alexander Trallianus, cum curandam suscepisset virginem quandam laborantem melancholiâ, & putantem se deuorasse serpentem, iussit serpentem clami in vase poni, atq; super eum faces excernere.

L X X I I.

Alius, nasum longissimum se habere putans, hanc opinionem prius non deposuit, donec Chirurgus se partem illius amputasse, simulato ictu & ostensâ carne illum fefellit. Ad eundem igitur modum, si quis ranas (ob rugitus & vetricis clamores) se in ventre multas habere imaginetur: promittemus nos illas inde esse expulsuros. Cumq; hominem purgauerimus, deiectionibus ranas viuas, clam ipsum, immitti, posteaq; ostendi illi iubebimus. Sic enim falsâ imaginatione depositâ, facilius curabitur.

D I A E T A.

L X X I I I.

Ne autem de nouo, materia in corpore congeratur, optimâ semper victus ratione cauere nos oportebit. Quâ etiam solâ melancholiam interdum se sanasse gloriatur Galenus, quando scilicet nondum altas radices egerit.

L X X I V.

Duo autem peculiariter notanda hinc sunt. 1. Cibis semper carminantia, modicè tamen, ne nimium accendant, adijcienda esse: cuiusmodi sunt semina anisi, carui, sileris montani: bacca iuniperi: folia lauri: puluis maiorana, roris marini, &c. 2. Aluum debere esse lubricam: siquidem nihil æquè, atque eiusdem excretio, praua illa accidentia mitigat. Ad quam rem obtinendam profuerit frequenter uti clysteribus, aut interdum paulò ante cœnâ deglutire pauxillum Therebinthinae Cypriae, aut etiâ Lariceae, nostratis. Pilulla quoq; ex aloë formata & immediatè ante cœnâ deuorata, benè admodum facere so-

L X X V.

(let.

Reliqua quæ ad affectus huius curationem, & congruam

*videtur rationem pertinent, descripsit acutissimè & felicissimè
Felix Platerus, Archiater Basiliensis, & Præceptor meus ve-
nerandus, in Praxi suâ, cuius tertiam eamq; desideratissimam
partem præ manibus nunc habet: ubi etiam dragettarum post
pastum sumendarum formula reperiuntur.*

Et tantum de proposito adfectu in me-
dium adferre volui.

COROLLARIA.

Philosophica, Medica, Chymica, & Chirurgica.


1. Odor & sapor non sufficiunt ad explorandas omnium medicamen-
torum vires.
2. Dolor supra regionem umbilici, nõ est signum perpetuum læsorum
intestinarum gracilium.
3. Spiritus vini etiam subtilissimus, non omnibus oleis destillatis su-
pernatat.
4. Crocus Martis ritè præparatus, & exhibitus non erodit.
5. Extracta, quæ vulgò vsurpantur, non sunt optimè parata.
6. Oleum salis destillatum, putredini impediendæ conuenit.
7. Linguae ligamentum infantibus recens natis, non statim iugue ob-
stetricis præcidendum est.
8. Apparente pure, non semper facienda ilicò est incisio.
9. Amputatio membri fieri debet in parte mortuâ, nisi vsus illius ob-
stet.
10. Hernia carnosâ interdum curatur per suppurantia.
11. In extrahendo vesicæ calculo, incisio nouaculâ ignitâ in adultiori-
bus fieri debet.
12. Homini plebeio, cultellum, quem imprudenter deglutiuerat, Chi-
rurgus quidam Pragensis, cui nomen *Floriano*, extraxit empla-
stro, sinistrae ventriculi regioni imposito, saluo & incolumi ipso
manente.

Omnia ad gloriam
Dei, & proximi
salutem.



ULB Ha
002 165 09





153988


AF 153988

3
ULB Halle
002 165 090


TA 70L

Wol





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



Sacrosanctæ
ados auxilio

Ordinis Asclepiadei
senatusconsulto
hacce

LANCHOLIA
HONDRIACA

ositiones
is corollaris, pro laurea
n signibus Doctoralibus
num quidem

in
D I C I N A,
de verò seor-
sim etiam

in
R U R G I A
mpetrandis
entilandas atq; examinanz
las subijcit

S B R U X I U S,
A V I E N S I S S I L.

as mensis VIIbris
horâ consuetis.

Conradi Waldkirchij.
civ. civ.



13